



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Parochorum, De Plerisque Functionibus, & Obligationibus, ad Parochias, Parochos & Parochianos attinentibus

Engel, Ludwig

Salisburgi

Cap. 6. De Obligatione Breviarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40922

curam exercens, habebitur pro præsente etiam quoad distributiones quotidianas, *Trid. s. 22. de refect. c. 3.* si tamen Parochia fuerit Canonici unita; si autem ex dispensatione (quæ utpote contra jus est strictioris interpretationis) acquisita, habebitur Canonicus curam exercens solum pro præsente quoad fructus annuos, non distributiones. *d. Bulla. cupientes. Barb. de offic. Epis. alleg. § 3. n. 127. Garc. de benef. p. 3. cap. 2. n. 179.*

- 15 *Quer. VIII.* Cùm residentia curatorum de jure divino sit, quomodo relaxari valeat? *R.* Esse tantùm juris divini in thesi & regulariter, in hypothesi verò & singulis circumstantijs frequenter dari hac regula exceptionē, si modò per idoneum Vicarum curæ provideatur? & quidem circà absentiam perpetuam vel diuturnam, exceptionem legitimam declarare ad S. Pontif. pertinet, circa brevem v. g. aliquot mensium, etiam ad Episcopum, vide *Laym. in Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 6.*

CAPUT VI.

De Obligatione Parochi recitandi Horas Canonicas.

SUMMARIUM.

1. Beneficiatus etiam curatus omittens Horas Canonicas tenetur ad restitutionem.
2. Controversia an Parochus ad omnes fructus restituendus teneatur ex omissione Breviarij.
3. Equior

3. *Equior est sententia ut propter onera Parochialia possit aliquam partem deducere.*
4. *Aequitas rigori Juris quando preferenda.*
5. *Beneficiatus in primis 6. mensibus omittens horas non tenetur ad restitutionem, secus tamen videtur, si obligatio orandi incumbat ex fundatione.*
6. *Qualis attentio requiratur in orando Breviario.*
7. *Sine interna attentione recitans probabiliter potest excusari à restitutione.*
8. *Qui Psalmos unius hora interruptim dicit sine causa, peccat quidem venialiter, satisfacit tamen præcepto.*
9. *Similiter qui ex errore unius officium pro alio dicit.*
10. *Capellani Parochorum non tenentur ad restitutionem, si Breviarium omittant.*
11. *Parochus regularis quando teneatur ad restitutionem.*
12. *Quid de Vicarijs perpetuis dicendum?*
13. *Quid veniat nomine pauperum & fabricæ Ecclesie, quibus facienda est restitutio.*
14. *Causæ excusantes ab oratione.*
15. *Quandonam is, qui potest partem orare, sed non totum, teneatur ad partem orandam.*

Inter omnes convenit Clericos beneficiatos teneri ad solvendas Horas Canonicas, prout *text. sunt in c. fin. dist. 92. c. 1. de Celeb. Missar. e. quia per ambitiosam. de rescrip. in 6. † Idem quod etiam de obtinentibus beneficium curatum clarè expressit Leo X. in Concil. Lat. in sua Bulla, quæ incipit *Superna dispositionis. §. §. 38. Et**

M. A. N. P. A. R. O. C. H. I.

K

Pius

Pius V. in alia Bulla, quæ incipit: *Ex proximo &c.*

Porro omittentem Horas Canonicas non tantum graviter peccare, sed etiam ad restitutionem fructuum *pauperibus vel fabrica beneficiorum* faciendam teneri, in dd. Bullis statutum est. Eamque restitutionem hoc modo fieri debere declaravit Pius V. ut si aliquis totum Breviarium omiserit, teneatur ad restitutionem omnium fructuum, qui si singulis diebus dividerentur, proportionaliter pro una die cederent; si verò omiserit Matutinum, teneatur ad dimidiam partem unius diei, si alias omnes horas præter matutinum, ad alteram dimidiam, si unam tantum horam, ad sextam partem fructuum restituendam. Sed

2 *Quær. 1.* An sub hac dispositione & distributione Pij V. etiam Parochi comprehendantur, ut si per unum diem Breviarium non oraverint, teneantur ad omnes fructus illius diei restituendos, vel potius possint sibi aliquam partem propter onera Parochialia retinere?

Plerique ob textus generalitatem inter Parochos & alios beneficiatos non distinguunt, *Azor Instit. mor. p. 1. lib. 10. cap. 14. q. 5. Barb. de offic. Par. p. 1. cap. 10. n. 32. Suarez. de Hor. Can. cap. 30. n. 6.* Verum non desunt alij celebres Authores, qui magis æquitatem considerant, censentes quòd illa verba, *omnes fructus*, in Parochis (imò etiam in alijs beneficiatis, quibus onus residendi, dicendi Missas &c. incumbit)

bit) limitari possint ad omnes fructus corre-
 spondentes Breviario. † Nam fructus non tan-
 tum deberi existimant propter Horas Canoni-
 cas, sed potius propter onera alia, præsertim
 verò Parochialia Sacramentorum administra-
 tionem; ideoque restitutionem eorum propter
 non oratum Breviarium debere fieri proportio-
 naliter arbitrio boni & prudentis viri, ita ut
 duas partes fructuum possit Parochus compu-
 tare pro labore Parochiali, & unam pro Horis
 Canonicis: & consequenter si v. g. portio red-
 dituum Parochialium unius diei fortè sint 3 flo-
 reni, propter totum Breviarium omissum tan-
 tum teneatur unum florenum restituere, cujus
 opinionis sunt Lopez, Toletus, Sa, Sanchez, &
 alij ce. à Barb. d. c. 10. n. 33. Ego hanc poste-
 riorem sententiam magna æquitate nixam satis
 tutè praticari posse opinor, secundum vulgatas
 juris regulas, † quòd æquitas sit rigori juris præ-
 ferenda, si salva ratione recti sermonis lex aliqua
 ex bono & æquo interpretationem recipere pos-
 sit. *L. placuit C. de judiciis. Fachin. lib. 1. cap. 32*
 Maxime in pœnalibus & odiosis, in quibus sem-
 per benignior est interpretatio facienda; *ut pœnæ*
potius moliantur, quàm exasperentur. L. penult.
ff. de pœn. c. odia. Et cap. in pœnis. de R. l. in 6.

Quæ. II. Quandonam incipiat obligatio
 restituendi propter non oratum Breviarium?
 R. Primum post sex menses numerandos à die
 adepti beneficij, sicut in d. Bulla Leonis expres-
 sè habetur, & in Bulla Pij V, nihil hæc in parte
 K 2 im-



immutatur, sed solum declaratur, quod per primos sex menses non orans Breviarium sine justo impedimento graviter peccet. Licet autem Sotus apud *Navar. de oratione. c. 21. n. 60.* videatur dubitare, utrum Pontifex potuerit tanto tempore non orantibus Breviarium restitutionem relaxare? nihilominus cum eodem *Navar.* rectius hic scrupulus rejicitur, cum oratio Breviarii, & propter ejus omissionem consequens restitutio tantum Jure humano introducta sit, quod S. Pontifex pro suo arbitrio vel omnino remittere vel certo modo temperare potest. In illis tamen beneficijs, in quibus fundator obligavit beneficiatum ad recitandas quotidie Horas Canonicas, procedere potest opinio Soti, ut etiam primis sex mensibus nascatur obligatio restituendi, quia in talibus beneficijs obligatio orandi Breviarium descendit ex Jure naturali, & etiam omittens peccat contra justitiam commutativam tanquam stipendiarius, qui non facit id, pro quo stipendium accipit, prout intelligendus videtur *Suarez de Horis Canonicis c. 29. n. 7.*

6. *Quar. III.* Qualis attentio, vel intentio requiratur ad solvendas Horas Canonicas? R. Non aliam requiri, quam ut orans verba integre proferat, & id faciat ex proposito tali modo Deum colendi, licet interim parum curet de intellectu verborum quae pleraque mysticum sensum habent, & ne quidem à viris doctis satis intelliguntur. Et propterea sufficit, ut illa intentio colendi DEUM virtualiter perduret, quam

quamvis ex humana infirmitate variæ distractiones interveniant, dummodò illæ distractiones omninò voluntariæ non sint. *Paul. Laym. de orat. & Horis Canonicis. c. 5. n. 9. & seqq.* Docent quidem aliqui magni nominis DD. ut Durandus Paludanus S. Antoninus MadinaSylv. & alii cc. apud Laym, *d. c. 5. n. 10. v. contrariam.* non requiri aliquam internam attentionem sed solam externam circa verba integrè proferenda sufficere. Verùm cùm leges debeant accipi secundùm verisimilem intentionem legislatoris *cap. secundo 41. de appell. contra legem 29. ff. de LL. c. fin. de R. l. in 6.* prior sententia utique probabilior, eò quòd non sit credibile, Ecclesiam voluisse solam illam materialem & externam prolationem verborum quacuuq; mente vel intentione factam præcipere, quia *in c. 1. de celeb. Miss.* profitetur, se velle explere illud Davidis: *Septies in die laudem dixi tibi, & illud: Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Ac *in c. dolentes. 9. de celeb. miss.* præcipit, *ut sinuose pariter ac devotè Horæ Canonicæ persolvantur.* Dicente item S. Hieron. *Audiant ij, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce tantùm sed corde psallendum.* & S. Bened. in Reg *cap. 19. sic stemus ad psallendum, ut mens nostra concordet voci nostræ.* Quidquid enim sit, an actus merè internos, qui in sola animi cogitatione consistunt, Ecclesia directè percipere valeat, quod aliqui non improbabiler affirmant, quamvis ob scrupulos conscientiarum non semper expedi-

ret, nec Ecclesia ob defectum probationis transgredientes punire possit, *cap. cogitationis de pœnis. dist. 1.* potest tamen præcipere actus mixtos partim internos, & partim externos, quatenus interna præparatio animi ad operis externi moralem perfectionem & substantiam necessaria est. v. g. intentionem consecrandi in Missa, absolvendi in pœnitentia &c. nam homo non tantum quoad directionem externarum actionum, sed etiam quoad directionem animæ subjectus est, juxta illud Apost. ad Rom. 13. *Omnia anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & paulò post: non solum propter iram (id est pœnam fori externi) sed etiam propter conscientiam.*

Quer. autem IV. An ad restitutionem teneatur, qui omni internâ attentione voluntariè neglectâ Horas recitaverit. *re.* Videri quidem tali casu restitutionem pro tutiori consulendam, quia eam imponunt cum Suar. *de Horis Canonicis. cap. 26. n. 25.* alij quoque DD. si tamen pœnitens difficulter persuaderi possit, non esset, **7** meo iudicio, multum urgendus. † Enimverò in proposita quæstione negativa sententia admodum probabilis est: cum Bullæ in principio hujus §. allegatæ tantum imponant restitutionem *non dicentibus* Horas Canonicas, at is, qui sine intentione vel interruptim dixit non possit omninò haberi pro *non dicente*, aliàs autem odia restringenda sint, neque peccato merè interno regulariter à jure pœna infligatur, *L. cogitationis de pœnis. Laym. d. c. 5. sub n. 10. Medin. Cod. de*

DE OBLIGATIONE BREVIARII. 151

de orat. q. 15. Et ibi Corduba lib. 4. quest. Theol. q. 13. circa fin. Henric lib. 9. cap. 25. n. 5. Non obstat quod quidam in contrarium adducunt cum Suar. de Hor. Canon. cap. 26. n. 25. Et seqq. videlicet omittentem internam attentionem non satisfacere præcepto, teneri ad repetitionem Breviarij &c. nam *nr.* Non satisfacere præcepto eo perfecto modo, quo deberet, adeoque ad evitandam culpam; satisfacere autem ad evitandam restitutionem, quia non constat, quòd Ecclesia obligationem restituendi etiam ad eam partem præcepti extenderit, ex qua tenerur, recitans internam attentionem adhibere. Nam & sola externa attentio non est sine omni fructu: si enim in choro psalmodia decens fiat, ædificat audientes; si privatim recitetur Breviarium, præbet saltem occasionem devotioni, & plerumque fit, ut vel incidenter interveniat bonus affectus, vel saltem piæ meditationes aut instructiones ex psalmis & lectionibus memoriæ hæreant, & quasi præter intentionem in animum irrepant.

Quod verò de necessitate repetendi Breviarium dicitur, si interna attentio omissa sit, illud non est usquequaque certum; negant enim Medina & Corduba *cc. ll.* sed licet concesserim⁹, non tamen statim sequitur, quòd omittens repetitionem, teneatur ad restitutionem, vel hoc ipso quòd præcepto in quantum *non dicentibus* injungit restitutionem jam satisfecerit, quamvis non satisfecerit præcepto in quantum etiam vult

internam attentionem adhiberi, sed id sub nulla expressa pœna vel obligatione restituendi.

8 *Quar. V.* An satisfaciat præcepto, qui Psalmos unius Horæ interruptim recitaverit vel officium ex errore mutaverit unum pro altero dicendo? † R. Quòd interruptio Psalmorum sit quidem aliqua irreverentia, & propterea peccatum, sed ex communi sententia tantum *veniale*. & idcirco interrumpens etiam per unam vel alteram horam non tenebitur ad repetitionem, quia quilibet Psalmus continet perfectam orationem. Quòd si alicui quædam occupatio incidat, quam commodè differre nequeat, interruptio planè culpabilis non erit. *Less. de l. & l. lib. 2. cap. 37. dub. 16. n. 57.* † Similiter etiam satisfecit præcepto, & ad repetitionem non tenebitur, qui unum officium præsertim ex errore pro alio dixit, quia substantia præcepti consistit in eo, ut septem Horæ Canonicæ quotidie dicantur, ut verò dicatur, officium v.g. de Sancto, pertinet solum ad ritum & accidentalem Cere-
9 *moniam. Less. d. c. 37. dub. 12. n. 77. Sylv. v. Hora. q. 12.*

10 *Quar. VI.* An Capellani seu Cooperatores Parochorum propter non oratum Breviarium teneantur ad aliquam restitutionem? Negan-
dum: quia suum salarium non accipiunt tanquam ex beneficio Ecclesiastico, sed propter personale servitium & functiones Parochiales. *Suar. de Horis Canonicis c. 22. n. 17.*

11 *Quar. VII.* An regularis qui est Parochus teneat

DE OBLIGATIONE BREVIARII. 153
teneatur ad restitutionem si Breviarium omittat?
Puto distinguendum, an Parochia sit Monaste-
rio incorporata & eam habeat Regularis tan-
quam administrator, & Vicarius temporalis ad-
nutum superioris amovibilis, vel utrum non sit
Monasterio incorporata, & eam habeat Regu-
laris tanquam beneficium? In priori casu pro-
pterea non erit facienda restitutio, quia Regu-
laris tantum percipit suam congruam sustenta-
tionem, & quidem non tanquam ex beneficio,
sed propter administrationem Curæ, ipsum ve-
ro beneficium, ejusque fructus ratione incor-
porationis ad Monasterium spectare censentur;
altero autem casu, Regularis est propriè benefi-
ciatus, & consequenter, juxta naturam omnium
beneficiorum, fructus non aliter percipere po-
test, quam cum onere recitandi Horas vel re-
stituendi.

Quer. VIII. Utrum Clerici seculares vel
regulares, qui in Parochijs, Canonicatibus v. g.
incorporatis Vicarij perpetui constituuntur, te-
neantur ob neglectum Breviarium ad restitu-
tionem? Sanè de rigore affirmativè evinci po-
test ex eo, quòd Vicaria perpetua dicatur bene-
ficium, *cap. postulasti. 26. de rescript.* attamen si
congrua portio talis Vicarij sit valdè tenuis respe-
ctu onerum Parochialium, quæ subire cogitur,
tunc suppositâ illâ sententiâ quam suprâ in quæ-
stione I. tradidi, vel ad nullam vel modicam tan-
tùm restitutionem ob neglectum Breviarium
tenebitur.

K 5

Quer.

- 13 *Quar. IX.* Quid veniat nomine pauperum & fabricæ beneficiorum, quibus facienda est restitutio? *z.* Pauperum appellatione etiam venire Monasteria, Ecclesias, & alia pietatis opera. Nomine autem fabricæ beneficiorum non tantum venire fabricam Ecclesiæ, sed etiam domus in qua beneficiatus habitat, vel alterius domus ipsius beneficij pro fructibus colligendis & conservandis extractæ & generaliter quidquid in perpetuum fructuum beneficij augmentum insumitur. *Barb. de offic. Par p. 1. c. 10. in fin.*
- 14 *Quar. X.* Quænam sint causæ excusantes ab oratione Breviarij & consequenter restitutione? *z.* Esse I naturalem oblivionem. II. infirmitatem corporalem, ex qua vel ipsâ rei evidentia vel iudicio medici oratio sine magna difficultate aut corporis periculo fieri nequit. III. gravem & repentinam occupationem, quæ sine scandalo vel notabili damno proprio aut alieno intermitteri non potest. IV. dispensationem Pontificis. V. defectum Breviarij & impossibilitatem illud hic & nunc acquirendi, prout hæ causæ deductius videri possunt apud Suar. *de Hor. Canon. c. 27.*
- 15 *Quar. postremò.* Utrum is qui ob ægritudinem vel aliam causam totum officium recitare non potest, teneatur ad partem recitandam, quam potest? Item an cæcus vel is qui Breviarium amisit, teneatur recitare eam partem, quam memoriâ tenet? Affirmativam amplectitur Suar. *d. c. 27. n. 27.* eò, quòd unaquæque Ho-

DE OBLIGATIONE BREVIARII. 155

ra sit per se totum quoddam, & quod per modum Canonici officij convenienter dicitur. monet tamen in casu infirmitatis corporalis non esse id scrupulosè observandum. Sed Nav. *de oratione* c. 11. n. 15. v. 8. Garc. *de benef.* p. 3. c. 1. n. 97. Lessius *d. l. dub.* 9. n. 54. & alij dicunt, non teneri aliquem ad recitationem partis minoris, si majorem recitare non possit, tum quòd major pars regulariter ad se trahat minorem, tum etiam quòd recitatio Horarum sit unum præceptum, & una actio moralis, quæ si non potest integrè fieri, non videtur ab Ecclesia mutilatè præcepta, sicut qui non potest audire totam Missam, non obligatur partem audire; item qui non potest abstinere à carnibus non tenetur abstinere à cœna &c. ut pro contraria sibi sententia adducit Suar. *d. l. n.* 22. Atque hanc sententiam cum Azor. & Rodriq. probabilem ait Laym. *de Hor. Can. cap.* 6. n. 1. v. *sed dubitari.* Ut propterea damnare non auserim eam sequentem, qui plurimum DD. autoritate & bona ratione firmatur. Nec multum urget, quòd unaquæque hora sit per se totum, & convenienter dici possit, ut argumentatur Suar. ex hoc enim non plùs evincitur, quàm quòd convenienter ab Ecclesia ita præcipi potuisset; utrum autem præceptum sit, ita mutilatè Canonici officium dicere, nobis non constat, & in dubio potiùs liberatio, quàm obligatio inducenda est. *L. Ariannus de O. & A.*

CAPUT